

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria,
Historica, Critica**

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Praefatio ex editione C. Velleji Paterculi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1677>

P R A E F A T I O

E X E D I T I O N E

C. VELLEJI PATERCULI.

Quod a veterum scriptorum editoribus, qui criticiam rationem sequantur, jure postulatur, ut in praefatione accuratam Codicūm et Editionū, quarum in lectionū iudicio sit auctoritas, historiam contexant, id nobis in summa facienda voluntate facere non licet. Est enim unus tantum hujus scriptoris Codex, una, quae auctoritatem habeat, Editio. Unicus ille, et ne integer quidem MStus, qui Vellejum conservavit, sub renascentiū literarū tempus, in coenobio Murbacensi repertus est; ex quo summa diligentia et pari fide per Beatum Rhenanum, felicem bonis libris proferendis virum, expressa Editio prodidit Basileae apud Jo. Frobenium 1520. fol. De Codice ita scribit Rhenanus: *Non satis erat, vetustatem utilissimum opus initio suo truncasse, nisi fine etiam suo mutilaretur: ut nihil dicam de vitiis, quibus in medio foedissime deformatum est.* — *Meus codex et unicus erat, et mendozissimus. Ausim jurare, cum, qui illum descripserat, ne verbum quidem intellexisse: adeo omnia erant confusa absque ullis punctis aut distinctionibus, etc.* In tanta igitur mendorum multitudine cum facile aliquid Rhenani, quamvis in membranis legendis exercitatos, oculos fefelleret, Jo. Albertus Burerius recentem a prelo Vellejum iterum ad

ad eundem Codicem, qui adhuc penes Frobenium esset, exegit, et discrepantes lectiones, quas enotasset, Rhenani editione subjicit, tanta religione hac in re versatus, ut singulas syllabas minuta et anxia diligentia ad calculos vocaret. Quo magis miror, quid in mentem venerit Grutero ad Vellej. II. 49. et 68. fraudis nescio cuius suspicionem jacere; quamquam reperti sunt, qui hujus judicij levitatem temere sequerentur, Burmannus ad Vell. II. 22. et in praef. et Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 18. Evidem saepe optavi, ut mihi Codicis iterum inspiciendi facultas contingeret, non quod me multa, quae Rhenani et Burerii diligentiam fugissent, inventurum sperabam, sed quo certius hominum de literis bene meritorum fides confirmaretur. Quin etiam amicis quibusdam Alsatis negotium dedi, ut, si Codex Murbacensis adhuc superesset, studiose inquirerent. Sed nullum inventum esse nuntiarunt, sive jam olim mala manu ablatus sit, quoniam nec Montfauconius, Codices Murbacenses recensens, Bibl. Biblioth. T. II. p. 1175. ullam ejus mentionem fecit, sive nuper admodum perierit in monachorum ex sede Murbacensi in Gebevillarensim migratione, de qua videndus Gerbertus Itin. Alemann. p. 366. Nec alias dum praeter hunc MSS. repertus est, nisi quod Labbeus Bibl. Nov. MSS. p. 167. ex nescio qua bibliotheca memorat *Velleji Paterculi Librum priorem integrum.* Cujus rei fides sit penes auctorem, Sic Murbacensi Codice oculis nostris subtracto, relinquebatur, ut Rhenani et Burerii non dubia fide staremus. Quorum etiam Notas, singulis paginis veteris scripturae testi-

monium exhibentes, sub textum revocavimus, aliorum interpretum annotationibus ad libri calcem rejectis. Hactenus de Editione Rhenani, non solum principe reliquarum omnium, sed una etiam propter fidem et integratatem digna, cui nomen editionis tribuatur. Cum autem in hac editione innumerabiles loci, qui correctione indigerent, superessent, ut quisque mox ad Vellejum edendum accessit, ita ejus textum pro captu suo vel meliorem fecit, vel corrupit. Quorum editiones, etsi nullum suffragii jus habentes, tamen idcirco inspiciendae sunt, ut, quid quisque correctorum Vellejo vel profuerit, vel obfuerit, cognoscatur. Primus, quantum indagare potuimus, in Vellejo aliquid mutare instituit Junta, a nemine superiorum interpretum adhibitus, cuius cura Vellejus accessit Justino et Nepoti, Florentiae 1525. 8. Huic successit Michael Vascosanus, Vellejum addens Appiani Alexandrini versioni Latinae, Paris. 1538. fol. cuius item nulla ratio habita est ab interpretibus Velleji. Horum conjecturas diligenter commemoravimus, sicut alii ante nos fecerant in Bonhommaeo et Gryphio, qui et ipsi nonnihil in Vellejo novarunt. Sed hi omnes priscam lectionem parce et modeste tentarunt. Mox exortus est, qui tot ac tantis primae editionis salebris offensus, insigni temeritate, prope novum et a Rhenaniao diversum Vellejum protruderet, ac nihil moratus corruptae lectionis vestigia, id, quod ab omnibus intelligi posset, dandum existimaret. Quae Velleji editio subjecta est Scriptoribus Historiae Augustae, ante Erasmi cura editis, et mox repetitis Basileae, apud Frobenium, a. 1546. fol. non

¶. 1542. ut bis per errorem scribit G. Vossius ad Vell. II. 3. et 75. Burmanno caussam praebens editionis, quae nulla esset, quaerendae. Titulus hic est: *Vitae Caesarum, quarum scriptores hi, C. Suetonius Tranquillus, Aelius Spartianus, etc. Annotationes D. Erasmi Rot. et Bapt. Egnatii in vitas Caes.* Accesserunt in hac editione Velleji Paterculi libri II. ab innumeris denuo vendicati erroribus. Basileae apud Froben. 1646. Quem titulum per festinationem legentes Vossius et Burmannus, quod de Scriptoribus H. A. ab Erasmo castigatis dicitur, etiam ad Vellejum, qui post accessit, traxerunt. Enimvero Erasmus ignorat oportet, qui talem ei recensionem tribuat. Quis enim minus conjectandi libidini indulxit, aut quis antiqua monimenta tractavit religiosius? Puteanus ad II. 25. inter Velleji corruptores nominat Heleanum quandam, mihi incognitum: *quod depravavit Heleanus, siye quisquis alius posterioribus editionibus manum admovit.* Sed quicunque Basileensi illi editioni praefuit, fatearis necesse est, acutum et perdoctum hominem fuisse, in quo nihil, nisi effrenatam, de qua diximus, audaciam reprehendas. Cum igitur haec editio, si minus Velleji manum, at certe quod intelligi posset, exhiberet, quis miretur, eam a doctis indoctisque cupide arreptam esse, Rhenaniam autem, tot ulceribus scatentem, prorsus negletam? Immo, quod magis mirere, sequentes Velleji Editores, etiam qui Critici dici haberique vellent, hanc adulterinam prae sincera Rhenani expresserunt. Jactat quidem Burmannus, se Vellejum ad primam Rhenani editionem exegisse. Sed res non appetet.

Ipse

Ipse quoque Basileensem interpolationem plerisque locis secutus est, satis habens, primae editionis lectiones, quae in textu poni debebant, in notis commemorasse. Quo magis necessarium duxi, verum et germanum Vellejum, qualis in Rhenani editione prodidit, tandem aliquando reducere. Quanquam vereor, ne mihi interdum irascantur artis criticae expertes, qui Velleji textum multis locis mendoxiorem, quam erat in Burmanniana et aliis Editionibus, dederim. Sed sic facere Editorem conveniebat, qui non hominum eruditorum somnia dare vellet, sed prima editione, quae ad unius Codicis exemplum formata esset, per omnia sequenda, summam lectionis veritatem quaerere statuisset. Ne orthographiam quidem, quamvis saepe vitiosam, mutare ausus sum, recte, ut opinor, iudicans, in scriptore, qui ex uno tantum Codice prodidisset, nullam religionem posse nimiam videri. Nec tamen ita me primae editioni quasi in servitutem addixi, ut emendationibus sive aliorum, sive meis, tam liquidis et certis, ut qui dubitet, stuporis notam subeat, locum in textu denegarem. Tum autem diligenter vetus lectio indicata est, ut, qui novam minus probet, ingenio suo fruatur. Quoniam vero de Junta, Vascosano, et Editore Basileensi dicere incipimus, non alienum videtur, de reliquis etiam, qui in Vellejo recensendo elaborarint, judicium nostrum interponere. In his alii nullum fere operae pretium fecerunt, ut Schegkius, Popma, Gruterus, Bocclerus. Quorum postremum, si mei res arbitrii fuisset, hac editione prorsus exclusissem, quod dudum explosa est a viris doctis, insimilis a Cl. Ernesto in pul-

pulcherrima praefatione ad Tacitum p. 49. eorum
stultitia, qui Historicos politica ratione interpreten-
tur. Alii de Vellejo praeclare meriti sunt, ut Acidal-
lius, Puteanus, Lipsius, Vossius, Heinsius. Acidal-
ianum nomen gravi invidia laborat, praesertim apud
eos, qui nihil in Veterum libris emendandis ingenio,
omnia MStorum auctoritati, tribui velint. Neque
ego negaverim, Acidalium, juventutis aestu ablatum,
multa in notis ad Vellejum, quorum ipsum postea
poenituerit, effudisse. Sed idem tot tam desperata
Velleji vulnera tanta felicitate sanavit, ut facile ap-
pareat, eum, si ad maturitatem pervenire potuisset,
majorem reprehensoribus suis Criticum futurum fuis-
se. Puteano, cultissimi ingenii viro, quicquid bo-
nae frugis Aldus Nepos attulit, subiectum esse, Al-
di ignavia credibile facit. Sed ut iste ab avita pa-
ternaque virtute descivit, ita Gerardus Vossius se
dignissimum tanto patre filium in Vellejo edendo
praestitit. Omnium tamen Velleji interpretum longe
longeque principem pono Justum Lipsium, cuius
miram sagacitatem in vitiis odorantis, et parem so-
lertiam in iisdem tollendis, non dubitem Critices stu-
diosis, tanquam praeclarum hujus artis exemplum,
commendare. Nec Heinsii in praef. judicium discre-
pat a meo: *Lipsius tot conjecturis pulcherrimis Pa-*
terculum emaculavit, ut, cum ubique sit in scriptis
felix ac praestabilis, hic tamen semet videri possit
post se reliquise. At Burmannus hunc principatum
Heinsio detulit. In quo judicio plus, quam deberet,
Heinsiani nominis favor, et Lipsiani odium, valuit.
Nos aequi simus, et suam cuique laudem tribuamus.

Fuit

Fuit Heinsius omnium, qui fuerunt, et erunt post-hac, in poëtis Latinis tractandis felicissimus. Sed haec tantopere celebrata felicitas illum destituit in prosae orationis scriptoribus, Vellejo, Petronio, Curatio, Tacito, aliis. Ac, si dicendum, quod res est, discrimen inter sermonem prosaicum et poëticum non satis videtur tenuisse. Qui enim in accurata ejus rei scientia fieri potuisse, ut tot formas poëticas Vellejo, et aliis, quos nominavi, scriptoribus obtruderet? Longius a Lipsii laude abest ultimus omnium Velleji Editor, Petrus Burmannus, praesertim in eo scriptore recensendo, in quo, propter crebras corruptelas, res omnis ad acumen criticum, quo illum minus valuisse scimus, rediret. Sed quid quisque boni ad Vellejum contulerit, perspicue apparebit ex notis nostris, ubi veras singulorum emendationes commemoravimus, falsas, quas refutare longum et molestum erat, silentio nostro condemnavimus. Hactenus de Velleji Editoribus, et nostrae editionis ratione. Sequitur, ut de ipso Vellejo aliquid dicamus. Praenomen Velleji incertum fecit Rhenanus, in titulo libri *P.* in ipso libro *C.* edens. Sed *C.* a Rhenano in Codice inventum arbitror, propterea quod, si *P.* reperisset Burerius, id pro diligentia sua non videtur praetermissurus fuisse. Rhenanus autem in titulo *P.* edidit, non Codicem, sed Tacitum Ann. III. 39. secutus. Ego *C.* praeferam, commune cum avo prae-nomen, quod non minus facile apud Tacitum in *P.* abire potuit, quam in *M.* apud Priscian. VI. p. 706. Nee dubitem assentiri Rhenano in Vita Vell. et Lipsio, *P.* Vellejum, legatum exercitus in Thracia,

cia, cuius Tacitus l. c. mentionem facit, eundem statuentibus C. Vellejo, historiae scriptori. Profecto qui familiae suae dignitatem ostentaturus, in tali compendii brevitate locum invenit tritavi, atavi, avi, patris, patrui, fratri, laudandi, quomodo cognatumi alium, praesertim exercitus ducem, si ullus tum praeter se et fratrem fuisset, silentio praeterisset? Quod autem Ryckius, eumque secutus Cl. Ernestus objiciunt, nihil de expeditione, quam Tacitus Vellejo tribuit, in ejus historia reperiri, facilis ac prompta responsio est, ejus rei narrationem justo historiac operi, quod toties promittit, servatam esse. Majoris momenti est quaerere, quid tandem Vellejum impulerit, ut, cum in priore historiae parte tot liberis spiritus documenta dedisset, in posteriore se ad humilem et servilem Tiberii adulationem demitteret? Utrum id gratiae captandae caussa fecerit, an metu diri tyranni subactus? Heinsius in epistola ad Casp. Fagelium, et Perizonius Anim. Hist. cap. VI. p. 211. sibi persuaserunt, Vellejum hoc opusculum non alia de caussa scripsisse, nisi ut Tiberii, Sejani, et aliorum hominum primiorum gratiam aucuparetur. Verum quis credit, Vellejum tam stultum fuisse, ut, cum ad Tiberii amicitiam arrepere constituisset, id non compendiaria via faceret, libello, ut hoc utar, de rebus gestis Tiberii scribendo, sed antequam ad Tiberii laudes perveniret, per mille ambages infinita seculorum spatia pervagaretur? Addit Heinsius, eundem non alio consilio res Romanas a Trojano excidio et erroribus Aeneae, qui Juliæ nobilitatis auctor fuisset, ad tempora sua deduxisse, nisi ut apud Ti-

berium, qui adoptione in gentem Julianam transisset, gratiosus fieret. Sed hoc est fingere, non demonstrare. Nos, unde Vellejus historiam orsus sit, ne- scimus, initio primi libri intercepto. Atqui, si Trojanorum errores memoravit, id fecit eo consilio, quo Graecorum errores attigit, ut civitatum ab illis conditarum primordia demonstraret. Levior est Barthii ratio, nec digna, quae refellatur, cui Advers. LX.

6. Vellejus tantum praeconem Romani nominis agere videtur, ut ex solo fine scripsisse videri possit. Si igitur haec adulatio a nullo gratiae profecta est aucupio, relinquitur, ut saevi et suspicacis domini metu sit expressa. A qua necessitate adulandi caussas Tacitus etiam repetit Ann. I. i. forte Vellejum respi- ciens: *Tiberii, Cajique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsae.* Dicat aliquis eum Lipsio Epist. Quaest. V. ii. *Vera scribere si non licuit, falsa non debuit. Nemo silentii caussam redit.* At sic Vellejo in otio incertissimo consenescendum fuisset; qualis vita magnis et gloriae cupiditate incensis ingenii mors est; neque historia Romana attingenda. Et quis tam hospes est in Caesarum hi- storia, quin sciatur, ipsum silentium probis doctisque viris criminis fuisse? Haec tam misera scriptorum sub tyrannis conditio facit, ut si minus excusandum, certe lenius accusandum, Vellejum arbitrer, praeser- tim cum ejusdem culpacie socios habeat, ne de poëtis dicam, Valerium Maximum, Senecam, Curtium, utrumque Plinium, Quintilianum, et alios. Atque hanc sententiam, praeter R. Bentlejum ad Lucan. I. 33. matuoriore actate idem, qui juvenis alia omnia

sep*

senserat, Perizonius in Curtio vind. p. 50 probavit. Alii alia in Vellejo reprehendunt, majore cum iniestate. Mitto Aldum Nepotem, hominem nullo in his literis sensu praeditum, qui ad II. 52. Vellejum non optimum Latinitatis auctorem vocat. Barthio occurrendum est, qui Advers. XVI. 7. et ad Stat. II. Achill. 146. orationis elegantiam Vellejo facile concedens, tamen sibi in eo castrense dicendi genus vi-sus est reperisse. Quam Barthii reprehensionem suam fecit Daumius de amiss. radic. L. L. p. 475. Quis non atrum verborum et locutionum castrensem indi-cem, quo talis accusatio confirmaretur, exspectas-set? At illi ridicule defunguntur duobus exemplis verborum *praescribere* et *praedicere*, pro supra dice-re, quorum prius a mala manu Vellejo insertum do-cuimus ad II. 21. posterius Trogi Pompeji, Colu-mellae, et aliorum auctoritate defendimus. Non mi-nus falsum est, quod Burmannus dicit, Velleji di-ctionem multum a munditia Augustei aevi descivisse. Id non melius refelli a nobis potuit, quam locutio-ne quaque, de qua talis dubitatio nasci posset, opti-morum scriptorum exemplis confirmanda. Alia igitur Velleji vituperatores reprehendant, si volunt, aut possunt: venustum et exquisitum loquendi genus car-pere supersedeant, nisi veteris elegantiae inscitiam prodere velint. Rectissime idoneus, si quis alias, hujus rei arbiter, M. A. Muretus ad Cicer. Catil. III. 10. ait, *historiam a Vellejo terse in primis atque eleganter explicatam esse*. Ne tamen Vellejum sim-pliciter et sine exceptione laudemus, ultro fatemur,

perinde nobis, ac Burmanno, aliisque multis, nimis
frequentatum videri istud acutarum festivarumque se-
tentiarum auctum, quod in prosam orationem pri-
mus invexit Trogus Pompejus, in ligatam Ovidius.
Certe plus laudis ab intelligentे posteritate tulisset,
si hac quoque parte imitatus esset Sallustium suum.
Hunc enim unum sibi imitatione effigendum sumvit,
ab hoc illud artificium indolis humanae describendae
didicit, hujus aemulatione efficax est et brevitate ner-
vosus, ab hoc denique totus ita pendet cum in ver-
bis, tum in orationis structura, ut magnopere mi-
randum sit, rem tam manifestam viros eruditos fefel-
lissee. Hac imitatione semel animadversa, quo stu-
dio nos ad Vellejum, eodem ad Sallustium cognoscen-
dum dedimus. Ac profecto, si forte aliis felicius
in Vellejo corrigendo versati videmur: quanquam no-
bis non tantum sumimus, ut Lipsii felicitatem nos
assecos putemus: veruntamen si Vellejus cura no-
stra castigatior prodit, illud non tam qualicunque in-
genio nostro tribuendum est, quam summae familia-
ritati cum Sallustio contractae, et perpetuae utrius-
que scriptoris comparationi. Hic aliquis quaerat,
quid sit, quare et Vellejus et ceteri historiarum scri-
ptores, deserto eloquentissimo Livio, sese certatim
ad Sallustium imitandum contulerint? Sallustianus
fuit, teste Seneca Ep. 114. Arruntius, belli Punici
scriptor, qui dudum perit: Sallustiani, qui super-
sunt, Tacitus, Septimius, Sulpicius Severus, Pseu-
do-Hegesippus. Nempe ab his omnibus, sicut a
Martiale XIV. Ep. 191. habitus est

Primus Romana Crispus in historia.

Sed finem praefandi faciam, si id, quamvis leve,
monuero, Velleji historiam, quae adhuc ab uno in-
ter veteres Prisciano VI. p. 706. laudata existimatatur,
etiam a Scholiaste Lucani ad IX. 178. laudari. Vale.

— Ao. MDCCLXXIX.